



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

21. Modi loquendi communes explicantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

525 Neque obstat, quod Sanctus Thomas aliquando hanc cognitionem appellat inclinationem, aliquando determinationem, non enim intelligit nomine determinationis aliquid necessitans, vel tollens indifferentiam secundi generis, sed appellat determinationem, quia auferit indifferentiam prioris generis, & quia cognitio bonitatis, quantum est ex se inclinatur, & determinatur magis ad amorem, quam ad odium, sed adhuc manet voluntas indifferens, quia habet aliam cognitionem alterius boni contrarii, quæ etiam quantum est ex se inclinatur, & determinatur ad amorem contrarium, & per consequens habet, ut ita dicam quasi determinationes contrarias duas improprie dictas, per quas tollitur prima indifferentia, quam habebat & tribuitur alia, ut voluntas secundam indifferentiam exerceat quomodo voluerit.

526 Deinde quando Sanctus Thomas vniuersaliter ait causam creatam posse operari, nisi prius determinetur à Deo, ibi loquitur de causis naturalibus, & necessarijs, non autem de liberis, ac si diceret Diuus Thomas non posse lapidem moueri ad centrum, nisi Deus prius determinet illum tribuendo illi grauitatem, quæ determinat lapidem ad centrum, quod expresse docuit Diuus Thomas 1. parte, questione 105. articulo 5. His verbis, Deus non solum dat formas rebus, & conseruat eas in esse, sed etiam tribuit virtutem media qua applicat agens ad operandum.

SVBSECTIO XXI.

Modi loquendi communes explicantur.

527 AD primum modum loquendi, qui contra nos obijcitur de applicatione causæ secundæ à Prima; suppono quod verissimum est, videlicet omnes causas creatas aliquam applicationem præuiam requirere (ut optime notauit Pater Suarez) ad actiones suas, siue fiat ex parte ipsarum, siue ex parte subiecti, siue materiæ circa quam operaturæ sunt, quæ applicatio in corporalibus agentibus, semper fit per motum localem, aut aliam actionem, qua agens, & passum loco coniungantur, seu propinqua fiant; in potentijs autem, seu viribus animæ, præcipue in intellectu & voluntate fit per sufficientem propositionem obiecti, aut per imperium vnius potentie in aliam, vel aliam motionem, vel eiusdem potentie in se ipsam secundum actus diversos, quando subordinationem inter se habent, ut late Sanctus Thomas prima secunda questione 9. docet, unde in genere omnis hæc applicationum varietas ad duo capita reduci potest, & ut breues habeamus terminos, quibus utamur, alteram materialem, seu localem, alteram animalem, seu intentionalem appellemus.

528 Deinde suppono, omnem hanc applicationem præuiam fieri à Deo, vel per causas secundas, vel interdum per se solum si causæ secundæ defint. Ratio generalis est evidens, quia hæc applicatio est aliquid in rerum natura, est enim, vel motus localis, aut alia loci adquisitio, vel cognitio, appetitio, aliquidve simile: ergo necesse est à Deo fieri; item ex hac applicatione diversimode facta in diuersis agentibus, & patientibus exoritur fere omnis varietas effectuum,

quæ in vniuerso contingit, tam in naturalibus, quam in moralibus; imo perpetua conseruatio vniuersi per continuas generationes & corruptiones, ex hac applicatione maxime pendet: sed Deus est qui providentia sua, & maxima efficacia hæc omnia gubernat, & continet: ergo necesse est ut ipse sit causa prima omnis huiusmodi applicationis, quia vero Deus suauiter omnia disponit regulariter hanc actionem non facit, nisi per causas secundas, & tunc non aliter ipse concurret quam dando priorem concursum generalem illi causæ secundæ, quæ per se, & immediate efficit hanc applicationem, ut si Angelus exempli causa sit causa applicans ignem Sodome, ut conburatur, Deus concurret cum Angelo ad efficientiam illius motus per generalem concursum supra explicatum, & simili modo cum alijs. Potest autem Deus facere interdum hanc applicationem sua sola efficacia: sed id (ut creditur) ordinarie non facit, nisi vel in operibus aliquibus miraculosis, vel interdum in operibus gratiæ, quando intellectum, aut voluntatem hominis in se ipsis immutat illuminando, vel inspirando aliquem motum, quo ipsa voluntas ad alium actum applicetur. Hic enim modus applicationis maxime pertinet ad ordinem gratiæ, omnia vero hæc applicationum genera, sunt omnino extra causam, & rem de qua disputamus, quamvis nonnulli Doctores circa hanc applicationem mirabiliter allucinentur, ob vocis æquiuocationem, etenim præsens questio de necessitate Diuini concursus solum versatur suppositis alijs omnibus requisitis conditionibus ad operandum, ex parte ipsius causæ secundæ, verbi gratia, postquam sol præsens est huic Hemisphærio, & omnia impedimenta ablata sunt, quo Dei concursus indigeat ad illuminandum, & in re circa quam versatur postquam voluntas habet præsens obiectum per iudicium rationis, & ipsa quantum est de se apta est ad operandum circa tale obiectum, inquiritur quid sit necessarium ex parte Dei, & hoc sensu dicimus illam applicationem præuiam nullam esse.

Nam in primis inquiri, quis sit terminus huius applicationis; cum enim hæc applicatio, actio aliqua esse dicatur, & non sit tantum immanens in Deo; sed transiens in causam secundam terminum aliquem habere necesse est; imo iuxta opinionem asserentem actionem Dei non transire proprie in extrinsecam materiam, nisi quoad effectum suum hæc applicatio cum sit à solo Deo, prout recipitur in causa secundæ, non erit actio Dei, sed terminus aliquis, vel effectus Diuinæ voluntatis; at nullus talis terminus fingi, vel excogitari potest.

Dices terminum esse actionem causæ secundæ, hæc enim applicatio ad hoc fit, ut causa secundæ suam actionem exerceat, sed hoc non recte dicitur, hæc enim applicatio dicitur esse aliquid in causa secundæ præuiam ad actionem: unde actio talis causæ ad summum dici poterit finis ad quem ordinatur talis applicatio; sicut illuminatio solis dici potest terminus, seu finis extrinsecus applicationis eius, quæ per motum localem fit. At hic inquirimus intrinsecum terminum huius applicationis, qui vel formaliter sit ipsa applicatio, vel per illum proxime fiat, nam sicut per applicationem solis immediate

immediate sit existentia eius in hoc loco ad quam deinde sequitur illuminatio, ita oportere dare aliquid simile in hac applicatione. At vero nihil tale fingi potest; nam ponimus omnem applicationem localem si necessaria sit esse factam similiter omnem obiecti applicationem intentionalem; quid igitur esse potest illa alia applicatio, aut per eam fieri quid potest?

331 Dices per eam actionem fieri maiorem, quandam conjunctionem agentis ad passum, vel potentiam ad obiectum, conjunctionem inquam non localem, sed virtutem, aut secundum propensionem maiorem unius ad alterum.

332 Sed hoc etiam nihil esse potest, quod ratione fundetur, aut satis percipi possit; nam si illa conjunctio sit in actu secundo, hæc non fit nisi per actionem ipsius causæ secundæ, & non per aliquid prærium ad actionem; si vero sit in actu primo, non fit nisi per ipsam virtutem agendi quæ per se est propensio ad dictam actionem, & ita suppositis alijs extrinsecis conditionibus requisitis per se ipsam, est satis applicata, seu potius inclinata ad actionem suam.

333 Nec potest hæc applicatio, propensio aut inclinatio augeri nisi aucta virtute ipsa agendi, quod per se loquendo necessarium non est ad concursum causæ primæ ut sit, ut circa aliud membrum de illis locutionibus dicitur, ergo talis applicatio prævia, quæ per se necessaria sit ex vi concursus primæ causæ præter conditiones omnes requisitas ex parte causarum secundarum, & quæ à sola prima causa fiat est ficta, & impossibilis, quia nihil omnino est.

334 Deinde quando dicunt talem applicationem causæ secundæ ad opus esse aliquid creatum distinctum à virtute operativa talis causæ, & distinctum etiam à Deo, ac proinde esse factum à Deo, imo necesse esse ita factum à solo Deo sine ipsa causâ secundâ, cum illa applicatio antecedit actionem talis causæ. Respondetur æquiuocationem committi posse in illa voce applicationis; nam si sit sermo de vera applicatione prævia, externa, & locali, vel interna, seu animali; sic omnis applicatio fit à D. o. vel solo si extraordinario modo fiat, vel cum causis secundis, non quidem cum illammet causâ; vel facultate, quæ applicatur, quia ut recte dicitur in objectionibus, illa non efficit applicationem suam, sed cum alijs causis concurrente, quæ illam efficiunt; nam per actionem quarundam rerum aliæ applicantur ad opus, ut mouente Angelo applicatur sol, & agente sole eleuantur vapores, & applicantur mediæ Regioni aëris, & sunt pluviae, & sic de alijs, quæ omnis applicatio fit iuxta ordinem causarum, & rerum à Deo institutum, conseruatum & gubernatum iuxta finem ab ipso intentum, & in hoc sensu videtur procedere hæc obiectio, quapropter non procedit contra nos, ut ex dictis patet; si autem per applicationem intelligatur quippiam aliud requisitum in agente secundo præter virtutem agendi permanentem in suo genere sufficientem, & præter alias conditiones, scilicet quod ha beat passum, vel obiectum, & alia requisita satis applicata eo modo, quo illis indiget; sic

negamus illam applicationem esse aliud quid præter actionem, quod satis à nobis probatum est. Vnde fit talem applicationem neque esse propter finem à Deo intentum, nec propter alium, quia omnino non est. Quod si ipsamet actio vocetur applicatio formalis in sensu à nobis exposito, hæc fit à Deo & ut sic ordinatur in finem à Deo intentum, quamuis prope est à causâ secundâ, non semper tendit in finem à Deo intentum, ut de actione peccaminosa infra dicitur.

Denique potest applicationis nomine significari ipsamet inclinatio, & propensio, quam causa secunda habet ad agendum, & hæc sicut non est aliud à virtute eius, ita fit, & conseruatur à Deo, & dante, & conseruante virtutem, & ita etiam non est propter finem à Deo intentum, atque hac ratione sæpe dicitur Deus, & non improprie applicare omnes causas secundas ad actiones influendo actum in eis virtutes, quæ natura sua in eas actiones propensæ sunt, & ad eas propterea applicantur; sed ex his nullo modo potest colligi physica prædeterminatio, neque aliquid contra veritatem nostram.

Quoad secundum modum loquendi de nomine excitationis virtutis actiue, Respondeo sane ad rem de qua agimus, & ad declarandum concursum necessarium causæ primæ & subordinationem causæ secundæ non magis conferre, quam applicationem; nam excitatio proprie locum habet in potentijs animæ, quatenus vna per actum alterius ad operandum mouetur ob sympathiam naturalem, quam habent quatenus in eadem anima radicantur. Solet etiam applicari hæc vox aliquibus virtutibus naturalibus, quæ interdum aliquam alterationem prærequirunt, ut suam actionem exercent, ut vis odorifera quæ non diffundit odorem nisi calefiat, ita piper & sinapi non calefaciunt, nisi conterantur, & sic de alijs, sed omnis hæc excitatio fit, aut quia virtus actiua per illam alterationem completur vel quia disponitur dum rare fit, aut alio modo simili afficitur, ut melius ad agendum applicetur, nihil autem horum est necessarium in causâ secundâ ex præcisa subordinatione eius ad primam, & quando aliquid simile necessarium est ex peculiari natura, vel defectu alicuius rei conferri, seu fieri potest per aliam causam concurrentem prima suo generali concursu, dummodo actio aliunde non sit miraculosa, vel ad ordinem supernaturalem pertineat; ergo hæc excitatio à causâ primâ, quæ propria eius fingitur, & necessaria in omni actione causæ secundæ, solum quia causa secunda est, etiam sine fundamento ad inuenta, nec maiorem probabilitatem habet hæc declaratio huius præuiæ actionis, quam reliquæ; omitto vix posse ab his explicari, quæ & qualis sit hæc entitas aut qualitas, aut quouis alio nomine appelleretur, & cur fluens esse dicatur cum ostensum sit non esse actionem, vel motionem veram, neque etiam ratio reddi potest, cur statim corrumpatur transacta actione, cum neque ab actione pendeat, neque actio ab ipsa, nec sit violenta subiecto, aut repugnans naturæ illius, de subiecto item illius quis dicat an ut compleat vim agendi caloris in sic ipsi, vel satis sit, ut simul eidem subiecto inhaereat, & quando virtus actiua

Actiua causa proximè ex multis rebus constat, ut efficacia ad videndum consurgit ex potentia, & specie, an vnaquæque harum rerum indigeat sua virtute fluente qua compleatur in sua actiuitate, vel cur potius vna quam alia, in his enim, & similibus multa dici possent, quæ sufficiat attingere ut aliis occasionem discurrendi præbeamus, & considerandi, quorū difficultates ex prædicta doctrina oriantur.

337 Ad alterum modum loquendi respondeo quod est de præmotione, nullam maiorem difficultatem habere, quam præcedentes, nihilominus eius æquiuocationem explicabo in hunc modum, eodem enim modo inquirendum est quem intrinsecum terminum habeat hæc motio, omne enim quod mouetur ad aliquid moueri necesse est; hæc autem motio non est intrinseca, & immediate ad actionem causæ secundæ, sed ad summum dici potest ad illam, ut ad extrinsecum finem ordinari, tum quia dicitur esse hæc motio præuia ad illam actionem, & re distincta ab illa, tum etiam quia actio non est terminus productus per aliam actionem, seu motionem; Tum denique, quia in causis secundis naturalibus, quæ agunt actione transeunte, hæc motio dicitur esse in ipsa causâ secundâ, actio vero causæ secundæ est in passo: quomodo ergo vna erit proxima, & intrinsecus terminus alterius? in voluntate vero hæc mutatio tantum dicitur fieri à Deo, & voluntatem solum passive se habere respectu illius: ergo non potest hæc motio terminari ad ipsam actionem vitalem, & liberam voluntatis, ut ad terminum intrinsecum, aliâ à quo fit illa motio, fieret etiam hæc actio quia terminus intrinsecus motionis ab eo tantum fit à quo fit ipsa motio ex quo fieret, actionem ipsius voluntatis, ad quam hæc motio terminari dicitur à solo Deo fieri, & voluntatem solum passive ad ipsam concurrere quod est Hereticum in actionibus liberis, de quibus tractamus, seclusa autem causâ secundâ actionem nullus alius terminus intrinsecus talis actionis fingi, aut excogitari potest, quia neque est aliquod ubi, neque aliquid quantum, & sic de reliquis solum dici potest hanc motionem terminari ad aliquam qualitatem, quæ (ut aiunt) detur per modum transeuntis, seu fluentis, sed quæ est necessitas, quod munus, quis usus, aut formalis effectus huius qualitatis? denique nihil dici potest nisi fortasse quod sit virtus actiua fluens, quod in tertio membro refutandum est.

338 Accedit quod agens non mutatur teste Aristotele 3. *Physicorum*. Respondent aliqui agentia creata agendo mutari, quia perficiuntur dum vim suam quodammodo ad alia extendunt; illa enim virtutis extensio, perfectio quædam est. At hoc falsum est, & non solum communi doctrinæ Aristotelis & aliorum Philosophorum parum consentaneum, verum etiam per se incredibile, quid enim perfectionis soli accrescet in hoc præcisè, quod aciem illuminet illa enim extensio virtutis nihil est aliud, quam ipsa actio illuminandi, quæ non illuminantem, sed illuminatum perficit. Communicatio item perfectionis, signum quidem est præexistentis perfectionis, non vero intrinseca perfectio. Quod si ea quæ agunt actione immanente agendo perficiuntur non in quantum agentia sunt, hoc eis accedit, sed quatenus in se recipiunt id, quod agunt, quæ mutatio non est præuia ad actionem,

sed consequens vel concomitans: sed esto demum agentia creata agendo perfici vel mutari, hoc tamen posito ad summum id fiet ipsamet actione si fortasse in ipsis recipitur, aut aliquid inde in eis resultat: tamen prius quam agant non mutantur ut agant.

Dicent, imo agens creatum non agere nisi prius motum; hoc enim modo Aristoteles reduxit vniuersam naturam ad vnum primum mouens immobile. Quo discursu etiam Theologi vtuntur ad probandum esse vnum deum; respondetur axioma illud in hoc habere verum, quod agens creatum non agit, nisi virtutem agendi ab alio accipiat, quæ per continuum influxum in eo conseruatur. Rursus in eo etiam verum habet, quod supra dicebam agentia creata fere nunquam inchoare actionem sine noua aliqua applicatione vel locali, si actio sit extrinseca, & corporalis, quæ applicatio interdum fit per motum agentis, interdum per motum passi; vel sine applicatione mentali aut interna si sit intellectualis, vel intentionalis. At vero quod post receptam virtutem, & factam applicationem passi, vel materiæ sufficientem sit necessaria noua motio in ipso agente ut agat, neque est verum, neque ab Aristotele alicubi in hoc sensu traditum. Nec fieri potest aliqua ratione verisimile, quia nullus terminus talis motionis, nullaue necessitas illius inueniri potest.

Discursus autem ille de reductione totius nature ad primum mouens immobile non fundatur in tam occulta, & incognita motione: Aristoteles enim ex sensibilibus processit, non ex his, quæ nec mente percipiuntur nedum sensu, igitur si fiat progressus ille physice fundatur in reductione totius inferioris nature ad motum cæli à quo suo modo pendet ut experientia, & Philosophia docent, cælum autem ipsum non creditur moueri à se; (nam ut Philosophus sumit,) omne quod mouetur ab alio mouetur; & ita inuestigando motorem eius peruenit Aristoteles ad vnum primum motorem immobilem, si autem illa reductio fiat metaphysice fundatur in dependentia, quam omnis res creata habet ab illo tam in se quam in agendo: sic enim longe certius est, omne quod non est à se reducendum esse ad aliquid quod non fit ab alio, & quod à se non agit reducendum esse ad aliud in quo nitatur in agendo, & ita necessario est perueniendum esse ab aliquod per se ens & per se agens, & hoc modo discursus hic longe certius fundari potest in concursu generali primæ causæ, quem explicauimus, quam in alia occulta motione; nam ille concursus licet sensu non percipiatur, tamen ratione constare potest; nam tamen motio, nec sensu, nec ratione ostenditur. Si denique velimus reductionem illam facere quodammodo moraliter fundari potest in illamet sensibili applicatione agentium, & patientium, quam constat esse ad actiones physicas necessarias; hæc enim tali ordine, ac modo fit in vniuerso in ordine ad conseruationem eius per continuas generationes, & corruptiones, ut certum signum sit vnus primi mouentis, seu gubernantis, & ordinantis hæc omnia ad hunc finem: illa ergo alia motio occulta est prorsus inutilis, & conficta.

Ex quibus patet quid dicendum sit ad deterta 541 minationem illam, quæ requiritur ab aduersariis in causâ secundâ à primâ, de qua late tractauimus

Quæst. vlt. De concursu Dei cum creat. 499

vinus supra; item dum dicitur causam secundam esse instrumentum Dei, & agere in virtute Dei non stricte hoc, sed late sumpto nomine instrumenti intelligendum esse quatenus causa secunda omnem suam virtutem operativam non habet à se, sed acceptam à Deo; à quo habet quidquid habet, & quidquid est, quibus explicatis tota ruet argumenti primi vis atque robur.

§42 Ad secundum argumentum concedo, maiorem, & distingo minorem quin compleantur causæ secundæ per prædeterminationem antecedentem ad actionem nego; per concursum divinum identificatum cum actione creata concedo, eo modo quo supra late explicuimus.

§43 Ad tertium argumentum distingo, est actus universalissimus, & proprius eff. ctus Dei &c. dum creatur ens concedo, dum producit ex præiacente subiecto, ita ut non possit produci à creatura, nego.

§44 Ad quartum argumentum iam supra late responsum est *speciali sectione* in qua præcipuum aduersariorum argumentum labefacimus.

§45 Ad quintam rationem satis superque responsum est, dum de applicatione egimus.

§46 Ad sextam rationem respondetur, primo hanc determinationem præuiam non solum à nobis rejici propter impedimentum libertatis, sed etiam quia nihil est, neque habet in natura minus aliquid quando alioqui virtus actiua est proportionata ad effectum; nam si sit improporcionata, ut est voluntas nostra ad actus supernaturales, tunc indigere poterit aliqua re indita, vel sibi coniuncta, non ut applicante tantum, sed ut adiuvante vel cooperante; si autem virtus sit inn. su ordine sufficiens, nec necessarium, nec verisimile credimus ei superaddi oportere aliam applicationem, seu determinationem præuiam ex parte ipsiusmet facultatis actiue etiam seclusa determinatione libertati contraria. Secundo dicitur hanc applicationem physicæ prædeterminantem ad vnum esse videri contra vsum libertatis, & in hoc sensu non solum repugnare cum principiis Philosophiæ, sed etiam fidei ut late probatum est.

§47 Ad primam vero probationem respondetur ad omnipotentiam Dei non pertinere contradictoria facere, qualia essent manere potentiam indifferentem, & determinatum ad vnum, seu (quod perinde est) motionem, seu entitatem illam præinstitam voluntati subdi in sua effectiōne actuali libero vsui voluntatis & necessario prodire in actum, & secum rapere voluntatem. Primum enim horum est necessarium, ut voluntas maneat libera. Secundum autem, ut illa entitas determinet voluntatem; sicut ergo repugnat fieri formam habentem ex natura sua proprietates oppositas, ita & fieri entitatem physicæ determinantem potentiam, & se subijcientem libero vsui eius. Quamvis ergo ad omnipotentiam Dei pertineat ut quod vult, & quale, ac quomodo vult fiat, & ad eius providentiam spectet ita fortiter, & suaviter ea disponere, quæ ad liberum arbitrium pertinent, ut & diuinæ voluntati seruiat, quando ipsa vult, & nihilominus ipsum etiam suam volitionem liberè faciat, tamen non est necesse ut hoc faciat Deus prædicto modo repugnantiam involuente, sed alio quem iam explicuimus.

Sed aiunt non esse repugnantiam, quod forma aliqua voluntati impressa possit non agere, & tamen infallibiliter agat: ergo non repugnant quod hæc forma relinquat voluntatem liberam, id est, potentem non agere; & determinatam physice ut infallibiliter agat. Sed hæc responsio virtute impugnata & supra tractando locum Concilij Tridentini; nam formam aliquam infallibiliter agere non morali infallibilitate, sed physica & omni modo, neque ex suppositione actionis (quomodo id, quod agit quando agit necesse est agere) sed ex se, & ut præsupponitur actioni formam in quam (hoc modo agere non potest oriri nisi extrinseca eius natura, quæ omnino est determinata ad agendum, neque potest impediri ab actione per subiectum, vel voluntatem, cui inest; si enim potest, unde erit infallibilis actio? cum infallibile licet referatur ad mentem supponat tamen in re fundamentum. Nam sicut ex eo, quod res est, vel non est præpositio vera vel falsa est; ita ex aliqua rei necessitate provenit infallibilis illa coniunctio actionis cum illo principio; est enim infallibile quod falsum esse non potest, quod autem falsum esse non potest, est necessarium verum, ad quod necessarium est verum in aliqua necessitate rei, vel actionis fundatur; si ergo hæc necessitas non sit ex suppositione ipsius actionis, oportet ut sit ex natura ipsius principij, ita nimirum ex se determinati ad agendum, ut à subiecto vel causa non possit impediri, sed illam potius secum ad agendum ex necessitate trahat.

Nisi forte dicatur illam infallibilitatem fundari in extrinseca Dei scientia, vel voluntate aut motione. Sed in sententia, quam tractamus, hoc non habet locum, quia si infallibilitas oritur ex scientia ut sic seclusa omni causalitate; ergo supponitur præsentia futuri eventus ante hanc prædeterminationem: ergo non est prædeterminatio, de qua loquitur, quia hæc dicit anteceffionem ad scientiam futurorum, ut sæpe iam diximus; imo talis scientia supponit causam determinatam ad agendum in præsentia æternitatis, vel in priori aliqua voluntate Dei; ergo supponit iam infallibilitatem in obiecto. Si autem infallibilitas oritur ex sola Dei voluntate efficaci, & extrinseca motione, iam forma illa non determinat physice, & intrinsece voluntatem; sed voluntas eff. ctæ illa forma adhuc manet indifferens, & diuina voluntas extrinsece illam determinat; & hoc sensu incidemus in sententiam Scoto attributam. Nunc vero ex toto hoc discursu concludimus quod intendimus scilicet, non posse vllam entitatem præuiam ad actionem, & principium eius voluntati in hærentem illam physicæ determinare, ut infallibiliter efficiat actionem talis formæ vel entitatis extrinseca vi, & natura talis entitatis; & tamen quod simul relinquat voluntatem liberam, ad non efficiendam actionem, ad quem talis forma inclinatur.

Ad aliam partem illius obiectionis respondeatur ex doctrina Anselmi superius posita & communiter recepta, necessitatem ex suppositione actionis, quæ dicitur necessitas consequens, non tollere libertatem; necessitatem vero ex suppositione antecedenti, quæ sit causa actionis tollere libertatem, ut ibi & in discursu totius libri satis probatum est. Ad exemplum primum

de

de iudicio rationis respondetur ex Bernardo *lib. de grat. & libero arbitrio* (ut alios scholasticos omittam) iudicium rationis vi sua non posse determinare voluntatem si obiectum illam non determinet; vel quod specificationem, ut cum iudicatur bonum esse amandum vel quoad exercitium ut in sola clara visione Dei; nam si iudicium ex se voluntatem determinaret necessitatem illi imponeret, qui ipsum iudicium sine libertate profertur: si ergo voluntas omnino esse adstricta ad illud sequendum periret libertas; unde in exemplis positus sicut determinatur voluntas, ita necessitatem patitur in altero quoad specificationem in altero, quoad exercitium. Hinc Bernardus: [est (inquit) ratio data voluntati ut instruat illam non ut destruat, destrueret autem si necessitatem ullam imponeret quominus libere pro arbitrio sese volueret.]

Dixi autem iudicium vi sua hoc non posse, quia ex vi prioris voluntatis potest interveniens iudicium omnino determinare voluntatem, ut velit id; quod priori voluntatis actui annexum est: ut si voluntas efficaciter interdixit finem, & medium indicatur necessarium ad illud volendum ad quod necessario determinatur, nisi a priori intentioni recedat: & idem est de vi respectu prioris electionis: hæc tamen sicut est determinatio ita & necessitas, scilicet ex suppositione, quia vero illa suppositio libera est; ideo ex hac parte actio libera etiam. Atque ita in omnibus, ac semper necessitas, & determinatio ad unum, pari passu currunt vel certe idem sunt. Unde si supponunt usum liberum, & in eo fundantur sunt tantum secundum quid, & non tollunt libertatem simpliciter, quam simpliciter destruant, & libertati repugnant si supponantur ad usum, & exercitium libertatis. Quomodo autem omnes, qui voluntate male eligunt, in iudicio, vel consideratione deficiant, & an sit hoc moraliter, vel metaphysice intelligendum: item an voluntas ut resistat iudicio opus habeat illud divertere, seu suspendere, & intellectum ad alia consideranda trans-

ferre; an vero persistente iudicio etiam præstare, & vitio possit illa non consentire non sp. At ad hunc locum hæc discutere: satis nobis est iudicium per se non esse efficax ad determinandam voluntatem si ipsa velit resistere, sine aduertendo illius siue ipsi palam renitendo.

Secundum exemplum divina scientia non est ad rem quia scientia futurorum absoluta & simpliciter, de qua procedit argumentum, includit suppositionem futuri effectus, quomodo Sancti dicunt res non esse futuras, quia præsciuntur futuræ, sed potius ideo præsciri, quia futuræ sunt, & ita illa necessitas est ex suppositione consequenti.

Tertium exemplum latum offerebat campum dicendi de Christi Domini libertate in suis actionibus; sed hæc disputatio ad alium locum spectat, ubi pro viribus, licet non pro dignitate declarata est. Quod ergo ad rem præsentem spectat, dicimus voluntatem Christi Domini sicut ex vi unionis determinata est ad non peccandum, seu facta est impeccabilis, ita non mansisse liberam ad peccandum; mansit tamen simpliciter libera ad operandum, non solum quoad circumstantias actionum suarum, verum quoad substantiam etiam in ea voluntate, quæ pro nobis mori voluit; imo in ea maxime; nam libertas ad peccandum neque est necessaria ad libertatem simpliciter, neque ad illius perfectionem attinet. At sicut Christus Dominus liber fuit in his, quæ ex Deo dare visum voluit, & amavit; ita non habuit voluntatem suam physice prædeterminatam ad aliquem actum per extrinsecam actionem, vel motionem; sed ipse se libere determinavit concurrente Deo, vel generali concursu, vel per auxilia gratiæ iuxta rationem actuum, quos exercebat, & ita ex hoc exemplo nihil contra doctrinam traditam sumi non potest, quomodo autem hæc omnia simul in Christo, inuenta fuerint, alibi, ut dixi, declaratum est. Hæc igitur de hac physica prædeterminatione in hærente in voluntate dixisse sufficiat.